

Itam sunt viculorum, quæ nullis distantiiis annotantur, et quæ adeo satius erat præterisse, quam fucum lectoribus facere, si certis incerta miscerentur. Præsto autem fuit ipse Hieronymus suis aliis scriptis, et cum primis in epistola ad Dardanum, in nostra recensione 129, ubi universæ possessionis Judæorum longitudinem quidem metitur a Dan usque Bersabee, quæ vix centum sexaginta millium in longum spatia tenditur; latitudinem vero a Joppe usque ad viculum Bethleem quadraginta sex millium, cui succedit vastissima solitudo plena ferocium Barbarorum. Licuit hic intelligere totidem millium regionem contra Orientem recto ad Jordanem tramite, atque a Jordane ad Chesbon, Perææ urdem, sive, ut Eusebio placet, ad usque Philadelphiam, quæ decem supra Chesbon millibus a Jordane protendebatur. Nam et si Judæa latitudo paulo est incertior, quod quantum ultra Jordanem excurreret, non satis inter auctores conveniat: sentiebam tamen, non ex variorum, et plerumque recentium viatorum, opinione, ne dicam ex Thalmude, ac Judæorum somniis mihi fuisse describendos Palestinæ fines, sed ex hujusmodi rerum solertissimo, tum ob eruditionis laudem, tum ob loci viciniam Cæsariensi episcopo, ejusque interprete magno Hieronymo, qui sedes illas et curiosius peragravit, et multos annos incoluit. Quamobrem et multi facienda sum arbitratus ipsa ex Hieronymo *Excerpta*, quæ ad locorum intervalla faciunt, et sic satis studiose post Martianæum collegi, ut jam sint maximam partem auctiora, Prætermisi autem alia, quæ ex temetipso recolas ex epistola 108, sive S. Paulæ epitaphio, a n. 8 ad 15, atque ex illa, quæ de *Mansionibus ad Fabiolam* inscribitur, in nostra recensione 78, quæ erant ferme ex integro describendæ, si quæ ibi de Terræ sanctæ urbibus traduntur, fuisset animus exhibere.

EX HIERONYMI LIBRIS

EXCERPTA

DE ALIQUOT PALÆSTINÆ LOCIS.

293 *Adrademmon* urbs est juxta Jezraelem¹, A plerique æstimant, quod Ἀρσος, id est *Martis*, quæ hoc olim vocabulo nuncupata est, hodie vocatur Maximianopolis, in campo Mageddon, in quo Josias rex a Pharaone cognomento Nechao vulneratus est (*Zach* XII.) civitas sit (*Isa* xv).

Abila. Mare Rubrum, in cujus littore Abila posita est, ubi nunc moratur legio, et præsidium Romanorum (*Ezech.* XLVII.)

Anathol est viculus in tertio milliario ab urbe (*Jerusalem*) situs (*Proœm. in lib. 1 Comment in Osee*) contra septentrionem Jerusalem in tertio milliario. (*Jerem.* 1.)

Apedno. Figat tabernaculum suum in Apedno juxta Nicopolin, quæ prius Emmaus vocabatur, ubi incipiunt montana Judææ consurgere (*Dan.* XI.)

Arabia. Rex Babylonis... egredietur quidem uno itinere Chaldæorum, sed cum venerit per desertum et solitudinem **294** ad bivium terræ Arabiæ, quæ appellatur filiorum Ammon, quarum una via Jerusalem ducit ad dexteram partem, sinistra vero ad Rabbath filiorum Ammon, quæ est civitas metropolis, et hodie Philadelphia nominatur, etc. (*Ezech* XXI.)

Ar, civitas metropolis regionis Moab, quæ provincia est Arabum. Hodie ex Hebræo et Græco sermone composita, Areopolis nuncupatur; non ut

Arnon, est terminus Amorrhæorum et Moabitarum (*Ibid*).

Azotus Mare autem novissimum intellige hoc quod ad occidentem est, et quod ducit in Ægyptum, in cujus littore Gaza et Ascalon, Azotusque et Joppe, et Cæsarea, et cæteræ urbes maritimæ sitæ sunt (*Joel* II.)

Bersabee. Ubi et Bersabee usque hodie oppidum est: quæ provincia ante **295** non grande tempus ex divisione Præsidum Palestinæ, Salutaris est dicta (*Quæst. ad Gen.* XXII, 30).

Beth-aven. Quæ quondam vocabatur Bethel, est urbs in tribu Ephraim post Benjamin; ubi enim finitur Benjamin, haud procul in tribu Ephraim hæc urbs condita est (*Osee* v).

Bethulia. Cum infinito agmine prosequentium venit Bethuliam... quinto die venit Pelusium (*In Vit. S. Hilarionis*).

Cadesbarne. In deserto est, quod extenditur ad urbem Petram (*Ezech.* XLVIII.)

Carmelus. Duo sunt montes qui vocantur hoc nomine; alter in quo fuit Nabal Carmelius, maritus Abigail, ad Australem plagam: alter juxta Ptolemaidem (*juxta Phœnicis terminos*), quæ prius vo-

¹ Vitiose Martian. *Jerusalem*.

cabatur Acho, mari imminens, in quo Elias propheta flexis genibus pluvias impetravit (*Amos* 1).

Carmelus. Si absconditi fuerint in vertice Carmeli, vel juxta Phœnices terminos in septentrionali plaga ad meridiem propter eremi vastitatem, ubi habitavit quondam Nabal Carmelius (*Amos* VIII).

Carmelus mons in confinio Palestinæ et Phœnices Ptolemaidi imminet, licet et alius in Scripturis sanctis mons Carmelus appellatur, in quo fuit Nabal Carmelius (*Isa* XXIX).

Cedar, quæ quondam inhabitabilis fuit, regio trans Arabiam Saracenorum (*Isa*. XLII).

Dan in terminis terræ Judaicæ, ubi nunc Paneas est (*Amos* VIII).

Dan. Septima Dan usque ad Joppem, ubi sunt turre Ailon, et Selebi, et Emmaus, quæ nunc appellatur Nicopolis, licet postea legerimus, quod ceperint sibi, transcens aliis tribubus, urbem Lessem in tribu Dan, quæ hodie appellatur Paneas (*Ezech.* XLVIII).

Dimon et Dibon. Ne quis Scriptoris vitium putet, et errorem emendare dum vult, faciat; una urbs et per *m* et per *b* litteram scribitur: e quibus Dimon, *silentium* interpretatur; Dibon, *fluens*; indito utroque nomine propter laticeas, qui tacite fluant. Usque hodie indifferenter et Dimon et Dibon hoc oppidulum dicitur (*Isa*. XV).

Duma Regio Idumæa, quæ ad Austrum vergit et ab urbe Palestinæ, quæ hodie dicitur Eleutheropolis 20 distat millibus (*Isa* XXI).

Edomia. Unus ergo atque idem tribus nominibus appellatur, Esau, Edom, 296 Seir, posseditque eam regionem, quæ nunc Gebalena dicitur, et in finibus est Eleutheropoleos, ubi ante habitaverant Horræi, qui interpretantur *liberi*, unde ipsa urbs postea sortita vocabulum est. Quod ergo Hebraice Edom, et Græce dicitur Ἰδομαία, nunc viculus Palestinæ est, a conditore sic imposito nomine (*Abdiæ* 1).

Emath minor, ad distinctionem Emath magnæ, quæ nunc Antiochia vocatur, urbs est in terminis Terræ Sanctæ, qui solem respiciunt. Postea dicta est Epiphania ab Antiocho, cui cognomentum Epiphanes (*Amos* VI).

Emmaus, juxta Nicopolim, quæ prius Emmaus vocabatur, ubi incipiunt montana Judææ consurgere (*Dan*. XII).

Emmaus. Judæ Macchabæi significat tempora, qui, de vico Modin, fratribus ac propinquis secum annitentibus, et multis de populo Judæorum, Antiochi duces supra juxta Emmaus, quæ nunc Nicopolis dicitur (*Dan*. VIII).

Engallim in principio est maris Mortui, ubi Jordanus ingreditur. Engaddi vero, ubi finitur, atque consumitur (*Ezech.* XLVII).

Esebon. Inter Esebon et Sabama vix quingenti passus sunt (*Ibid.* XVI).

Gabaa. Urbs est in tribu Benjamin, juxta Rama (*Osee* V).

Galaad, quam possedit dimidia tribus Manasse, trans jordanem Scriptura commemorat. In quo monte Laban fugientem consecutus est Jacob, et mons juxta Genesim nomen accepit σωπός, id est, *tumultus* testimonii, eo quod ibi Jacob Labanque juraverint in acervum lapidibus congregatis. Est autem caput, sive principium Libani montis excelsi, qui universus cedris consitus est (Hieronym. in c. XXII *Jeremiæ*).

Genesareth. Lacus Jordane influente efficitur, in cuius littore Chaphanaum, et Tiberias, et Dethsaida, et Chorozaïm sitæ sunt (*Isa*. IX).

Geraris. Notandum, quod de Geraris usque ad montem Moria, id est sedem templi, iter dierum trium sit (*Quæst. in Gen.*, c, XXIII, 5).

Geth (ut Regnorum quoque testatur historia) una est de quinque urbibus Palestinæ, vicina Judææ confinio, et de Eleutheropoli euntibus Gazam, nunc usque vicus vel maximus; unde fuit et Goliad ille Geththæus, quem David occidit in prælio (*In cap. 1 Mich. hæc urbs ubi Hieronymo ibid. vocatur Palestinæ metropolis*).

297 *Geth*, quæ est in Opher, haud grandis est viculus in secundo Sephorim milliario, quæ hodie appellatur Diocæsarea euntibus Tyberiadem; additur Opher, ad distinctionem aliarum Geth urbium (Hieron. *Proëm. in Jonam*).

Geth. vicina atque confinis ex Azoto quæ Hebraice dicitur *Esdod* (*Jerem.* XXV).

Helkesi usque hodie in Galilæa vicinus est, parvus quidem et vix ruinis veterum ædificiorum indicans vestigia; sed tamen notus Judæis, et mihi quoque a circumducente monstratus (*Proëm. in Nahum*).

Jasa, urbs quæ Mortuo mori imminet, ubi est terminus provinciæ Moabitarum (*Isa*. XV).

Idumæa. Idumæos quoque a Meridiana plaga vix septuaginta quinque millibus ab Hierosolyma separatos (*In Epist. ad Dardan.*):

Idumæa. Omnis Australis regio Idumæorum de Eleutheropoli usque Petram, et Ahilam (hæc est enim possessio Esau) in specibus habitatiunculas habet (*Abdiæ* 1).

Jerusalem in tribu Benjamin sitam nullus ignorat. Thecuam quoque viculum esse in monte situm et duodecim millibus ab Jerosolymis separatum quotidie oculis cernimus (*Jerem.* c. VI.)

Jezrael, quæ nunc juxta Maximianopolim est, fuit metropolis regni Samariæ; prope quam sunt campi latissimi, et vallis nimis vastitatis, quæ plusquam decem millium tenditur passibus. In hac commisso certamine ab Assyriis cæsus est Israel (*Osee* 1).

Joppe. Joppem portum esse Judææ et in Regnorum et Paralipomenon libris legimus, ad quem Hiram quoque Rex Tyri ligna de Libano ratibus transferebat, quæ Jerusalem terreno itinere perverherentur... sed et juxta regionis naturam de mon-

tanis et ardis ad Joppen et campestria veniens **A** propheta, recte dicitur descendisse (*Jonæ* 1).

Madian. Nulli dubium est, Madianitas et totam eremi vastitatem adjacere terræ Arabiæ (*Ezech.* xxv).

Mambre. A Mambre usque ad Montem Moria vix unius diei iter plenum est (*Quest. in Gen.* c. xxii, 3).

Morasthi ueque hodie juxta Eleutheropolim urbem Palæstinæ, haud grandis est viculus (*Proëm. Comm. in Michæam*).

Nemrim, oppidum super mare Mortuum (*Isa.* xv).

298 Petra. Quæ et ipsa urbs Palæstinæ est (*Isa* xlii).

Pharan. Vicinus est locus monti Sina (*Habac.* iii).

Rabbath. Metropolis nomine Rabbath, quæ hodie a rege Ægypti Ptolemæo, cognomento Philadelpho, **B** qui Arabiam tenuit, cum Judæa Philadelphia nuncupata est (*Exec. h.* xxv).

Rama est urbs in tribu Benjamin, in septimo lapide ab Hierosolymis sita (*Osee* v).

Ramoth Galaad. Urbs trans Jordanem in possessione tribus Gad Ipsa fugitivorum civitas fuit.

Rhinocorura est oppidum in Ægypti Palæstinæque confinio (*Isa.* xxvii).

Rhinocorura. Urbs ad torrentem deserti, sive occidentis, ut LXX transtulerunt; inter eam et Pelusium rivus Nill sive torrens de eremo veniens, mare ingreditur (*Amos* vi).

Samaria. Altera urbs fuit metropolis decem tribuum, quæ postea ab Augusto Cæsare appellata est Angusta, id est, Sebaste: in qua et ossa Joannis Baptistæ condita sunt (*Osee* 1). **C**

Saron omnis juxta Joppen Liddamque appellatur regio, in qua latissimi campi fertilesque tenduntur (*Isa.* xxxiii).

Segor in finibus Moabitarum sita est, dividens ab iis terram Pilistiim.

Sochoth. Est usque hodie civitas trans Jordanem hoc vocabulo in parte Scythopoleos (*Gen.* xxxiii, 17).

Solitudo. Quæ a Majoma, Gazæ emporio, per litus euntibus Ægyptum ad lævam flectitur (*In Vit. S. Hilarionis*).

Thabatha. Hilarion ortus vico Thabatha, qui circiter quinque millia a Gaza urbe Palæstinæ ad austrum situs est (*Ibid.*).

Thabor est mons in Galilæa, situs in campestribus, rotundus atque sublimis, et ex omni parte finitur æqualiter (*Osee* v).

Tharsis vel regio Indiæ est, ut vult Josephus: vel certe omne pelagus Tharsis appellatur, et cœli habet similitudinem (*Jerem.* x).

Thecue est oppidum quod sex millibus ad moridianam plagam abest a sancta Bethleem, quæ mundi genuit Salvatorem; et ultra nullus est viculus, ne agrestes quidem casæ. Tanta est eremi vastitas, quæ usque ad mare Rubrum, Persarumque et Æthiopum atque Indorum terminos dilatatur (*In Proëm. Com. in Amos*).

Thecuam viculum esse in monte situm, **299** et duodecim millibus ab Hierosolymis separatum quotidie oculis cernimus (*Jerem.* ii, 7).

Themam Idumæorum regio est, et vergit ad Australem plagam; quæ provincia non solum Themam, sed et Daron, et Nageb dicitur, eo quod Eunom et Austrum, Africumque respiciat (*Ibid.*).

Thophet, ara Thophet, quæ est in valle filii Ennom, illum locum significat, qui Siloe fontibus irrigatur; et est amœnissimus atque nemerosus, hodieque hortorum præbet delicias. Hic autem gentilitatis error omnes provincias occupavit, ut ad capita fontium lucosque amœnissimos victimas immolarent, et omnis pravæ superstitionis religio servaretur. Thopheth lingua Hebræa interpretatur latitudo: scriptumque fertur in libro Josue filii Nun, de hoc loco qui **300** est in valle filii Ennom, et Hebraice dicitur *ge Ennom*. *Ge* quippe φάρμακον, hoc est *vallem*; et *Ennom* vel hominis nomen, vel *gratiam* sonat. Traduntque Hebræi ex hoc loc appellatam Gehennam, quod scilicet omnis populus Judæorum ibi perierit, offendens Deum. In quo loco etiam filios suos in igne idolis consecrarint sive holocaustum obtulerint, quod non præceperit eis, nec ulla legis jusserit sanctione (*Jerem.* vii).

Tyrus et **Sidon** in Phœnicis littore principes civitates... quarum Carthago colonia (*Jerem.* xxv).

Vallis, seu Torrens spinarum, est locus juxta Liviadem trans mare Mortuum, sexto ab ea distans milliario, ubi quondam cum Madianitis fornicatu est Israel (*Joel* iii).

